

**92. QUAER. II.** Num actus interni lege humana praecipi possint.

**RESP.** Claritatis causa juvat triplicem speciem actuum discernere : externos, qui scil. organis corporeis externis perficiuntur, ex. gr. solvere tributum, infantem ad baptismum ferre ; mere internos, qui solis potentis internis perficiuntur, ex. gr. emittere volum, meditari ; mixtos, qui partim internis potentis, partim externis organis absolvuntur, ex. gr. celebrare Missam cum intentione consecrandi. Videlicet,

*Certum est* : 1º Lege civili actus mere internos praecipi non posse : hi enim ad finem societatis civilis conferre nequeunt. Potest tamen eadem lex praecipere actus mixtos, ex. gr. juramentum, quod praestari nequit ut oportet sine interno religionis actu.

2º Ecclesiam praecipere posse actus mixtos, etiam actus externos occultos : hi enim ejusdem generis sunt ac ceteri qui cognosci possunt, neque ullum dubium praxis relinquit.

3º Potestatem fori poenitentialis se ad actus mere internos injungendos extendere. Constat ex praxi et ex utilitate talium actuum ad finem ad quem Christus hoc forum instituit.

4º Ecclesiam posse praecipere actus mere internos indirecte, quod facit : a) ubi interpretatur vel determinat legem seu jus divinum : sic definiendo fidei articulum, internae fidei obligationem imponit ; — b) ubi, favorem aliquem largiendo, actum mere internum tamquam conditionem ponit : sic requirit meditationem de Passione Christi ad lucrandas indulgentias Viae crucis ; — c) quando aliquis se sponte obligavit ad parendum alii etiam actus mere internos praecipienti.

*Disputatur* num Ecclesia actus internos directe et absolute praecipere possit. Negantem sententiam tenent S. Thomas, Suarez, S. Alph. et plerique DD. Pro affirmante stant quidam antiquiores AA., ut Elbel, Schmier et plures e recentioribus, ut Ball. P. (n. 122 seqq.) et Bouquillon (Theol. Mor. fund. p. 259 seqq.); in hanc partem propendet Lehmkuhl (I. n. 132).

Rationes praecipuae negantium sunt : 1º Non potuit talis potestas Ecclesiae concedi, quia repugnat ut leges ferantur de actibus quos judex punire nequit. — 2º Non debuit conferri, quia Ecclesia est corpus visibile, et ideo materia accommodata ad ejus communem et externam gubernationem debet esse et ipsa sensibilis et externa.

His respondent adversae sententiae patroni : ad 1<sup>um</sup>) Ecclesia saepe praecipit sine externa sanctione, delinquentes relinquendo propriae conscientiae et iudicio divino ; imo posset, absolute loquendo, eos qui legem de actu mere interno violarent punire per poenam seu censuram latae sententiae ; — ad 2<sup>um</sup>) Potestas illa est omnino consona indoli et fini Ecclesiae quae societas est supernaturalis, ad animarum sanctifica-

tionem instituta. Igitur potestas circa actus internos comprehenditur connaturaliter in generali potestate legifera Ecclesiae concessa ; limitatio ad actus externos et mixtos admittenda non est nisi clare probetur.

Ad proxim parum conductit haec disputatio ob multiplicem potestatem indirectam in actus internos quam omnes in Ecclesia agnoscunt.

### § 3 DE LEGIS SUBJECTO.

**93. PRINCIPIA. I.** Omnes homines sunt **legi naturali** subditi, etiam ii qui habitualiter rationis usu carent, ut infantes et perpetuo amentes. Ratio est, quod in omnibus est natura humana pro qua illa lex lata est ; unde quidquid objective legi naturali repugnat, ex. gr. fornicatio, involvit inordinationem naturae rationali repugnantem. Si qui AA. ut Laymann (l. 1. tr. 4. c. 10), negant infantes et perpetuo amentes ullis legibus subjici, intellegi possunt de subjectione perfecta et in actu secundo ita ut peccare possint eam violando.

Inde sequitur peccare eos qui infantes vei amentes ad actus legi naturali contrarios, ex. gr. ad blasphemias, provocant. Haec enim, quae veram inordinationem inducunt, tribunntur principali agenti qui infante vel amente tamquam instrumento utitur. (Laymann, l. c. n. 3) Adde : interdum dari scandalum videntibus vel audientibus, interdum foveri in infantibus habitus qui postea ad peccatum formale ducant, ex. gr. si nutrix docet infantem verenda mulcere.

Notandum aliud esse quod aliquis lege non teneatur, aliud quod a lege excusat, quamvis ei subditus sit. Talis excusatio haberi potest per ignorantiam, ebrietatem, dementiam transeuntem et similia. Cfr. dicta in tr. de Act. Hum. cap. III.

**94. II. Legi ecclesiasticae universali** subditi sunt omnes et soli baptizati, habitualiter ratione utentes.

Ratio est, quod omnes et soli baptizati societatem supernaturalem Ecclesiae ingressi sunt ideoque ad ejus finem per leges idoneas ducendi sunt. Cfr. Conc. Trid. Sess. 14. c. 2. Ad hunc tamen finem duci nequeunt per regulam positivam et externam nisi habitualiter ratione polleant. Hinc,

1º Legibus ecclesiasticis minime tenentur infideles seu non baptizati, ac proinde per se licet eis opera servilia die Dominica imponere.

2º Iisdem legibus non tenentur catechumeni, quamvis utiliter plerunque ab iis earum observantia exigatur tamquam condicio sub qua ad baptismum admittantur.

3º Tenentur per se haeretici et schismatici qui baptismum acce-

pere : qui tamen plerumque invincibili ignorantia excusantur quando transgreduntur leges quae in eorum secta a longo tempore obsoleverunt. Nec desunt AA. qui existiment Ecclesiam nolle urgere leges suas, saltem illas quae directe ad animarum sanctificationem tendant, ex. gr. leges de festis et jejunis, erga eos qui in secta jamdudum constituta infeliciter nascantur. Rationem non spernendam afferunt, quod Ecclesia tales leges urgendo potestate sua potius in destructionem quam in aedificationem uteretur.

4º Tenentur quoque excommunicati. Potest tamen quoad pracepta quaedam esse specialis ratio ob quam ab iis servandis excusentur, ut dicetur Vol. II. n. 582 seqq.

5º Infantes et perpetuo amentes legibus ecclesiasticis non subjacent ac proinde per se non sunt ducendi ad Sacrum, cogendi ad abstinentiam, etc. Expedit tamen ut infantes, quamprimum ratio sese evolvere coepit, legibus quas servare possunt assuefiant.

*Praesumuntur* autem infantes ad usum rationis sufficientem pervenire quando septennium impleverunt. Si qui citius rationis usu potiuntur, probabiliter legibus ecclesiasticis non tenentur, quia Ecclesia censenda est eas ferre secundum communiter contingentia. (S. Alph. l. 4. n. 270) Neque iisdem tenerentur si, completo septennio, rationus usu carerent.

6º Legibus ecclesiasticis subjacent amentes ad breve tempus vel qui sufficientem rationis usum servant ut eas cum fructu et merito servare queant. Cfr. n. 15. Videndum tamen num ab iisdem servandis aliunde excusentur, ex. gr. a lege abstinentiae ne deterius habeant vel quo citius valetudinem recuperent.

7º Ebrius manet subditus legibus ecclesiasticis, ideoque peccat qui die abstinentiae illi carnes porrigit, etc.

**III. Legibus ecclesiasticis particularibus** regulariter subditi sunt ii tantum qui, baptizati et ratione habitualiter utentes, in territorio particularis legislatoris domicilium vel quasi-domicilium habent.

Ratio est, quod potestas legislatoris particularis, ex. gr. episcopi, Coneilii provincialis, certo territorio circumscribitur, ideoque eos qui ad illud non pertinent afficere nequit. De iis qui obiter in eodem territorio versantur dicetur infra. (Princ. V)

**95. IV. Peregrini** non tenentur legibus *particularibus* territorii sui. *Peregrini* dicuntur qui in uno loco (dioecesi, paroecia) domicilium vel quasi-domicilium habentes, in alio obiter versantur. Ratio autem asserti patet : siquidem lex particularis territorialis est et, mediante territorio, fideles afficit. Hinc,

1º Si quis die jejunii particularis extra territorium suum versatur, ad illud servandum non tenetur.

2º Potest aliquis mane discedens e loco in quo non sit jejunium, carnis plene refici, quamvis meridie redux futurus sit in loco domicilii in quo jejunium viget ; illic tamen a carnis abstinere debet.

3º Si quis e loco domicilii in quo viget jejunium abit, certo sciens se vespere futurum in loco in quo eadem jejunii lex non viget, potest jam mane jentare, licet carnis vesci non possit. Cfr. nn. 441 et 444.

**96. V. Peregrini et vagi** probabiliter non tenentur, *saltem regulariter*, legibus *specialibus* locorum in quibus versantur. Ita S. Alph. (l. 1. tr. 2. n. 156) cum multis aliis contra Navarrum, Suarez, etc.

*Vagi* dicuntur ii qui nullibi domicilium vel quasi-domicilium habent, ut sunt perpetuo navigantes, histriones nullam fixam sedem habentes.

Ratio est quod lex solos subditos afficit ; subditi autem hujus particularis legislatoris non sunt qui in ejus territorio nec domicilium, nec quasi-domicilium habent.

Dicitur tamen *regulariter*. Nam tenentur certe servare illas leges quae ab omnibus servanda sunt ne bonum commune pereat, ex. gr. non inferre quaedam mercimonia tempore morbi contagiosi. Deinde si contractus quosdam ineunt, eos juxta peculiares loci leges condere debent. Possunt quoque interdum obligari ad alias leges observandas ratione scandali quod aliter vitari nequeat. Universaliter etiam receptum est vagos puniri posse ubi delinquent, ne sclera impunita maneant.

Addit ipse S. Alph. (l. c.), cum communiori sententia, hanc limitationem : peregrinos ad legem particularem teneri si eadem viget in patria sua. Haec tamen limitatio parum cohaeret cum principiis supra positis. Nam peregrinus hac lege teneri nequit, ut est lex patriae, cum in ea non versetur (Princ. IV), neque ut est lex alterius territorii (Princ. V). Quare censemus cum Gury (l. n. 95), Ball. P. (n. 204), etc. eam non esse admittendam.

Qui hoc Princ. V rejiciunt praecipue hanc duplice rationem afferunt :

1º Verba notissima S. Ambrosii: " Cum Romam venio, sabbato jejuno ; cum Mediolani sum, non jejuno. Sic etiam tu ad quam forte ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quemquam tibi. " (Decr. Grat. dist. 12. c. 11) — Sed responsum hoc S. Augustino datum non tam praecepsum quam consilium videtur, excepto casu quo aliter vitari non posset scandalum. Id innuunt verba S. Aug. in eadem epistola (54) e qua haec desumpta sunt : " Respondit nihi nihil se docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nosset, id potius observaret. "

2º E juris axiomate : *Qui sentit commodum, et onus sentire debet*,

deducunt aequum esse ut peregrini, qui a patriae legibus solvuntur, ligentur legibus territorii in quo obiter versantur. — Verum hoc axioma stricte applicari nequit nisi iis rebus quae *intime connexae* sunt, ut inde deducatur, ex. gr. eum qui parochi munus suscipit debere non solum illius commodis frui, sed et onera ferre.

**97. VI. Regulares exempti** per se non tenentur legibus episcoporum in quorum dioecesibus resident. Exemptio enim in hoc praecise consistit quod ab ordinaria episcoporum jurisdictione subtrahuntur ut soli Rom. P. immediate subsint.

Sed plurimi sunt casus in quibus exempti subjiciuntur jurisdictioni sive ordinariae, sive delegatae episcoporum : hos enumerant Canonistae. In ceteris etiam interdum per accidens se subjicere debebunt, nempe ubi id necessarium erit ad scandalum vitandum vel commune bonum procurandum. (Schmalzgr. in l. 1. Decret. t. 2. n. 38)

S. Alph. (l. 1. tr. 2. n. 157) valde probabilem vocat opinionem illorum AA. qui regularium monasteria reponunt inter loca exempta ita ut personae non exemptae, dum in iis versantur, legibus dioecesanis minime subsint.

**98. VII. Subjectum legum civilium jurisperitis determinandum** relinquimus : ceterum quale sit, per analogiam e principiis de lege ecclesiastica datis hand aegre colligi potest.

Dubitari tantum posset num legibus civilibus subsint clericci, cum e Jure canonico pateat eos ad solum forum ecclesiasticum pertinere. Jamvero, juxta communem sententiam, clericci legibus civilibus subjiciuntur secundum vim directivam. Quamvis enim jure divino a potestate legislatoris civilis exempti sint, leges tamen sacris canonibus minime repugnantes servare debent, ob voluntatem RR. PP. usu universalis comprobata et aequitati naturali maxime consonam, cum deceat onera civilis societatis ferre eos qui ejusdem commodis fruantur. (Laymann, l. 1. tr. 4. c. 13) Attamen vi coactivae legum civilium clericci regulariter non subsunt, sed a judicibus ecclesiasticis coercendi sunt : qua de re cfr. Vol. II. n. 590.

#### 99. SCHOLION DE DOMICILIO ECCLESIASTICO.

Quo melius applicari possint quae supra de legibus particularibus dicta sunt vel in aliis locis dicenda occurrent, juvabit breviter exponere condiciones quibus domicilium vel quasi-domicilium ecclesiasticum acquiritur vel amittitur. Patet hoc argumentum unice e legibus ecclesiasticis definiendum esse : Ecclesia enim numquam dispositiones legum civilium recentiorum de domicilio adoptavit.

I. Ad comparandum in aliquo loco *domicilium*, duo, et quidem copulative, requiruntur :

1º *Animus* seu voluntas in eo loco constituendi habitationem de se perpetuam.

2º *Factum* quo quis reapse in tali loco sedem ponit.

Locus hic proprie intelligitur paroecia vel, ubi nondum canonice erectae sunt paroeciae, quasi-paroecia. Nam, sicut in jure civili domicilium proprie habetur in municipio, non autem in provincia vel alia ampliore regionis cuiuslibet divisione, ita in jure ecclesiastico domicilium proprie habetur tantum in infima territorii ecclesiastici divisione.

Si autem quaeritur qua ratione voluntas illa perpetuo manendi in eodem loco juridice cognosci possit, triplex criterium assignare est :

a) Ipsam legem quae animum supplet vel exprimit. Sic uxor, ubi maritus, minores, ubi parentes, nutricii, ubi tutor, verum habent domicilium quod et *legale* seu *necessarium* vocatur.

b) Varia signa, qualia sunt habitatio assidua ac praesertim decennalis, translatio majoris partis honorum in hunc locum vel bonorum immobilium in eodem acquisitio, etc. Vocatur *domicilium arbitrarium*.

c) Indubitate assertionem, praesertim juramento firmatam, de voluntate ibidem perpetuo manendi.

In Jure tum romano, tum ecclesiastico fieri potest ut quis habeat plura domicilia. Ad hoc requiritur quaedam aequalitas in modo se habendi ad plura illa loca ; sufficit tamen ut in singulis per magnam anni partem, quamvis non aequalem, stabiliter habitetur. Cfr. Schmalzgr. in l. 2. Decr. t. 2. n. 13, Aichner, Comp. Jur. Ecel. § 164.

**100. II. Ad acquirendum *quasi-domicilium* in aliquo loco, requiruntur copulative haec duo :**

1º *Animus* manendi in hoc loco per majorem anni partem seu sex menses.

2º *Factum* habitandi in loco de quo agitur.

A primo die quo haec duo concurrunt, habetur quasi-domicilium. Hoc hodie omnino certum est e Litt. Encycl. S. Inqu. ad Episc. Angliae, 7 Juin. 1867 (Coll. P. F. n. 1407). Juxta Lehmkuhl (II, n. 775) satis probabile est sufficere voluntatem habitandi per notabilem anni partem seu per quatuor menses. Attamen non censemus hanc sententiam manere practice probabilem, eo quod decreta Romana tam clare postulant majorem anni partem.

Ut constet de animo illo permanendi in eodem loco per sex saltem menses, videndum est num directe, ex. gr. per indubitatam assertionem eorum de quibus quaeritur, vel saltem indirekte, per varia indicia, illa voluntas satis manifestata fuerit. Inter haec indicia praecipue attendendum est illud quod Bened. XIV (Litteris *Paucis abhinc hebdomadis* 19 Martii 1758 ad Archiep. Goanum) indicat ; nempe, habitatio in eodem

loco per unius mensis spatium. Ex hac enim habetur praesumptio juris, etiam in ordine ad matrimonium contrahendum, pro intentione manendi per majorem anni partem. Haec tamen praesumptio elidi potest contra-riis probationibus quibus certo ac liquido constet praedictum animum nullo modo exstisset. Cfr. Litt. Encycl. S. Off. cit. (1)

Non sufficeret tamen actualis habitatio ad quasi-domicilium parientum, si quis in ea regione more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum seil. ceteri solent qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent. (ib.)

Ideo quasi-domicilium habet uxor ubi servitia praestat; minorenns, ubi studiorum vel famulatus causa commoratur; miles, in civitate in qua stativa habet: non acquirit quasi-domicilium qui, animo ad breve tempus morandi, in villam se confert, licet praeter exspectationem diutius maneat, etc. Cfr. Schmalzgr. in l. 2. Decret. t. 2. n. 19 et Reiffenst. ib. n. 23.

**101. III.** Ad *amittendum domicilium* vel *quasi-domicilium* haec duo copulative concurrere debent:

1º *Actualis derelictio* domicilii hactenus possessi.

2º *Animus* se alio transferendi.

Non sufficit ergo cessare titulum domicilii hucusque possessi; potest enim domicilium legale, deficiente legis titulo, transire in arbitarium. Ita filia in civitate famulans, quae majorenns facta est, retinet domicilium apud parentes in loco natali, quamdiu paternae domui non omnino valedixerit. Ii vero qui, plene dimisso priore domicilio, aliud petunt, ex gr. migrantes ex Europa in Americam, vagis accensentur donec in locum novi domicilii pervenerint.

#### § 4. DE LEGIS PROMULGATIONE ET ACCEPTATIONE.

**102. PRINCIPIA. I.** Ut aliqua ordinatio obligationem in membra alieujus communis inducat, necessarium est ut a legitimo Superiori publicetur ita ut ejus voluntas obligandi subditos manifesta fiat: in quo sita est legis **promulgatio**. Hinc neminem ligat privata legis promulgandae notitia, aut privata declaratio voluntatis sua a legislatore facta:

(1) Omnino speciale est decretum quo, potentibus Patribus Conc. 3i Baltim. S. C. Inqu. approbat ut, in Statibus Foed. ii qui se transferunt e loco in quo decretum " Tametsi „ viget in alium locum censeantur ibi habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium, dummodo ibi continuo commorati fuerint per unius mensis spatium. quin facienda sit inquisitio de animo manendi per majorem anni partem.

quamquam saepe laudabile est huic Superioris menti conformari, dummodo non imponatur ceteris. Promulgatio confundenda non est cum cognitione legis a singulis acquisita. Haec, in foro externo, *praesumitur* post certum quoddam tempus, quod sufficiens esse debet ut lex moraliter potuerit omnibus communis membris innotescere. (1) In foro tamen interno *praesumptio* semper cedit veritati.

**103. II.** In ratione promulgationis peragendae distinguenda sunt ea quae lex naturalis et ea quae lex positiva, praesertim ecclesiastica, requirit. Ex *jure naturali*, talis esse debet promulgatio ut communis in legis cognitionem moraliter et humano modo devenire possit. Cum autem plura hujusmodi media praesto esse soleant, arbitrio legislatoris relinquuntur quodnam eligere malit. Hinc, intra limites jure naturae praefixos, inspicienda est legislatoris voluntas, et huic omnino standum.

De promulgatione *legum ecclesiasticarum* haec observanda sunt:

1º A pluribus saeculis, RR. PP. tamquam sufficientem legum suarum promulgationem habuerunt earumdem affixionem in locis publicis urbis in qua resident. Id manifeste elucet e clausulis solitis quibus jubent constitutiones suas Romae affigi et publicari, ut singulos ad quos spectant obligent perinde ac si unicuique personaliter intimatae fuerint. Insuper, in curia Romana, universi orbis lites judicantur secundum leges quae Romae tantum promulgatae fuerint. Reliqua interdum adhiberi solita, ex. gr. exemplaria ad episcopos mittere, jubere ut ab iisdem lex nuntietur fidelibus, sunt tantum media quibus cognitio legis facilis ad omnes perveniat. Cfr. Bouquillon, Theol. Mor. fund. p. 271 seqq.

Igitur tamquam praxi et saepius manifestatae menti S. Sedis contraria rejicimus sententiam quam olim multi magni nominis AA. tenebant (Billuart, de Leg. diss. 3. a. 2. § 1) et plerique probabilem censebant (S. Alph. n. 96): leges pontificias, quibus jus novum statuatur, saltem virtualiter in singulis provinciis vel dioecesis promulgandas esse, nisi R. P. contrarium exprimat. Hac enim opinione abusi sunt Janseniani et Gallicani ut tales promulgationem *prorsus et absolute* necessariam esse contenderent, atque ita principibus civilibus facile medium tribuerent quo leges pontificias efficacia sua privarent. Hinc factum est ut Canonistae, jam melius illius sententiae incommoda et S. Sedis mentem attentes, communiter illam deseruerint.

2º Pontifices interdum sponte decernunt ut lex obliget tantum postquam in variis locis extra Romam promulgata fuerit. Ita Leo PP. XIII

(1) Sic in Belgio leges obligare incipiunt decimo die postquam typis vulgatae sunt in diario " Le Moniteur. " (Lex Belg. 28 Febr. 1845.)